



Institutiones Theologicae Ad Usum Seminariorum

Simonnet, Edmond

Venetiis, 1731

Disputatio V. De necessitate Gratiae.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-83614](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-83614)

nemo possit corrigere quem ille despexerit. Et Isaiæ, c. 6. Excæca cor populi hujus, & aures ejus aggravæ, & oculus ejus claudet; ne forte videat oculis suis, & auribus ejus audiat, & corde suo intelligat, & convertatur, & sanem eum. Et Rom. c. 1. Sicut non probaverunt Deo habere in notitiâ, tradidit illos in reprobum sensum. Ergo, &c.

2. Ex S. Augustino, qui ait lib. i. ad Simplicianum, quaest. 2. *Ut obduratio Dei sit nolle misereri.* Et po-
nea: *Ut ob hoc dicatur obdurare peccantes quosdam,*
quia non eorum miseretur, non quia impellit ut pec-
cent. Et tract. 53. in Joan. *Sic excecatur, sic obdu-*
ratur Deus deferendo, & non adiuvando. Et epist. 105.
Deus obdurat non impertiendo malitiam, sed non im-
partiendi gratiam. Et enarr. in Psal. 147. *Ecce deferit*
peccatorem, ecce non vocat, ecce non aperit sensum,
ecce non infundit gratiam. Ergo, &c.

Ad 1. prob. R. neg. conseq. Ad primum Scripturæ locum dico, aliud colligi non posse, quàm excusat-
tis aliquando ad tempus subtrahi omnem gratiam suf-
ficiëntem ad conversionem. Ad secundum similiter
dico, in eo non aliud significari, quàm Judæis illis,
de quibus Propheta loquitur, ad tempus gratiam om-
nem, quæcum converteri possent, in penam peccato-
rum præteritorum subtractam fuisse. Porro peccato-
ribus sic à Deo ad tempus desertis, si cum urget ob-
ligatio alicujus præcepti, quod absque interiore gra-
tia observari nequit, deest gratia proximè sufficiens
ad implendum præceptum, saltem non deest gratia re-
more sufficiens, seu gratia quæcum implorare possunt
majus auxilium, quocum proximè possunt præceptum
implere. Ad tertium locum dico cum S. Augustino
in enarr. in Psal. 6. eo significari exclusionem ab in-
teriore Dei luce, sed non totalem, quandiu hic vivi-
tur, addeoque eo significari subtractionem interioris
gratiæ, sed non omnis.

Ad 2. prob. R. etiam neg. conseq. ad primum enim S. Augustini locum dico, secundum mentem S. Doctoris, ut patet ex contextu, Deum peccatores obdurare, nolendo eorum misereri misericordia illa specialia, ex qua, cujus sic miseretur, ita eum vocat quomodo scit ei congruere, ut vocantem non respuit. Juxta S. Doctorem igitur, Deus peccatorem obdurat, non impellendo eum ut peccet, aut etiam eum privando auxilio quocum possit, si velit, non peccare; sed præcisè non dando ei auxilium congruum, hoc est, auxilium quocum non solum possit, sed etiam velit non peccare.

Ad secundum dico, juxta S. Doctorem, Deum excusare, deferendo non per subtractionem omnis gratiæ, sed per subtractionem specialis providentiæ, & gratiæ congruæ, vel etiam, si vis, gratiæ proximè sufficientis ad faciendum bonum & malum vitandum. Ad tertium dico, Deum obdurare, non impertinendo gratiam congruam, vel etiam proximè sufficientem. Ad quartum dico, S. Doctorem similiter intelligi posse de subtractione congruæ gratiæ, vel etiam proximè sufficientis ad vitanda peccata, & mandata servanda: nisi malis illum interpretari, sicut & interpretati sumus de subtractione omnis gratiæ, sive proximè sive etiam remotè sufficientis ad conversionem, ad tempus facta.

Dices. Excecati peccant imputabiliter, cum male agunt ex cecitate cordis, juxta illud S. Augustini, lib. 5. contra Julianum, cap. 3. Cæcitas cordis, quam solus removet illuminator Deus, & peccatum est, quo in Deum non creditur, & pœna peccati, quo cor superbum digna animadversione punitur; & causa peccati, cum mali aliquid cæci cordis errore committitur. Atqui excecati non habent auxilium sufficiens ad vitandum malum, quod faciunt ex cordis cæcitate. Ergo peccant imputabiliter sine auxilio sufficienti ad vitandum peccatum. Prob. min. Nam excecati nec vident nec videre possunt malitiam actus, quem ex cecitate cordis exercent.

R. neg. min. Ad prob. R. disting. Excecati malitiam actus, quem ex cœcitate cordis exercent, nec vident, nec videre possunt in sensu composito

cœcitatîs, C. In sensu diviso cœcitatîs, N. Hic autem sensus divîsus sufficiens est in eorûm potestate. Itaque excœcati habent gratiam saltem remore sufficientem ad removendam cœcitatem, nempe gratiam orandi & impetrandi auxilium ad removendam cœcitatem necessarium, Remota autem cœcitate, videre possent, & Deo ulteriùs adjuvante viderent malitiam actus. Non ergo dici possunt carere omni gratia sufficiente ad vitandum malum, quod ex cœci cordis errore committunt.

Dices . Iudæi excecati peccabant non credendo Christum esse Messiam, juxta illud ipsiusmet Christi, Joan. c. 15. Si non venissem, & locutus fuisssem eis, peccatum non haberent; nunc autem excusationem non habent de peccato suo. Et infra: Si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent. Atqui tamen nullum habebant auxilium sufficiens ad credendum in Christum. Ergo, &c. Prob. min. Nam non poterant in Christum credere, juxta illud Joan. c. 12. Propterea non poterant credere, quia iterum dixit Iſaias . Excecavit oculos eorum, &c.

R. neg. min. Ad prob. R. 1. sic dist. Judæi in Christum credere non poterant impotentia consequente & voluntaria, C. Impotentia antecedente & involuntaria, N. Judæi itaque in Christum credere non poterant, non quia carebant gratia ad credendum necessaria, sed quia datam repudiabant; non quia vim motivorum credibilitatis percipere non poterant, sed quia illa per suis falsis præjudiciis spernebant; non quia non illustrabantur a Deo, sed quia illustrationem divinam contemnebant, & ab ea mentem avertebant; non denique quia non movebantur a Deo ad credendum, sed quia motionem divinam abijcebant.

Hanc responſionem ſuggerit S. Auguſtinus plu-
ribus locis . Nam dicit tract. 93. in Joannem : *Non*
poterant cedere (Judæi .) *Quare autem non poterant*
ſi à me quaratur , citò reſpondeo , quia nolebant
Et lib. de præd. Sanct. cap. 6. *Ecce miſericordia &*
juſtitiam : miſericordia in electione que conſecuta eſt
juſtitiam Dei: judicium verò in cæteris , qui excusa-
ti ſunt : & tamen illi , quia voluerunt , crediderunt :
illi , quia noluerunt , non crediderunt . Miſericordia
igitur & judicium in iſtis voluntariis facta eſt : (mi-
ſericordia quidem erga Judæos electos , vocando illos
quomodo ei congruebat ut vellent credere , & cre-
dere ; juſtitia verò circa cæteros , non quidem pri-
vando illos vocatione , quacum velle poſſent , ſed
præciſe non illos vocando ea vocatione , quacum
non ſolum velle poſſent , ſed etiam re ipſa vellent .)
Unde qui noluerunt credere , tam liberè noluerunt ,
quàm qui voluerunt credere , liberè voluerunt : & ſi-
cut qui voluerunt credere , poterunt nolle , ita qui
noluerunt credere , poterunt velle .

R. 2. aliter dist. Judæi in Christum credere non potuerunt in sensu composito odii & zelotypiæ, qua flagrabant adversus Christum, C. In sensu diviso, N. Vel, si vis, sic. Judæi in Christum credere non potuerunt, manente cordis cœcitate, C. Sublata, N. Unde etiam nego quòd caruerint omni auxilio sufficiente ad credendum in Christum: habuerunt enim saltem gratiam remotè sufficientem ad deponendum illud odium, quo Christum infestabantur, & ad impetrandum à Deo auxilium ad removendam cordis eorùm cœcitatem sufficiens.

DISPUTATIO V.

De necessitate gratiæ.

ARTICULUS I.

*Utrum tentatio aliqua superari possit solis
natura viribus.*

Nota. Non agitur hic de levi aliqua titillatione, quæ tentationis nomen non meretur, sed de vera tentatione; & quaeritur utrum aliqua vinci possit sine di-

divino auxilio. Tentatio autem tribus modis vinci potest. 1. enim potest vinci damnabiliter, quod fit cum tentatio per aliam tentationem superatur, seu cum homo resistit uni tentationi, ut succumbat alteri. De hoc modo vincendi tentationem non potest esse difficultas; clarum enim est, homini naturalem arbitrii facultatem ad hoc sufficere, ut uni tentationi obsequatur potius quam alteri, & tentationem minorem ab homine naturaliter superari posse per maiorem.

2. Tentatio vinci potest salutariter, quod fit cum homo tentationi resistit ex motivo Christianæ virtutis, puta ex motivo charitatis. Unde tunc homo non modo non peccat vincendo tentationem, sed etiam meretur apud Deum. De hoc modo hic non agimus, sed quid de eo tenendum sit, patebit ex infra dicendis de operibus pietatis, qualia nulla fieri posse ab homine sine adiutorio interioris gratiæ illustrantis intellectum & voluntatem excitantis atque adjuvantis, ostendetur.

3. Tentatio vinci potest indifferenter, hoc est, neque peccando, neque actum pietatis exercendo, adeoque neque merendo, neque demerendo; quod fit v.g. cum homo tentationem superat ex honestate virtutis naturalis. De hoc modo vincendi tentationes hic agitur, & quaeritur utrum possit esse absque omni auxilio gratiæ tam externo, quam interno: hic enim per auxilium divinum intelligimus non solum interiorem gratiam illustrationis & inspirationis, sed etiam externam protectionem, & providentiam specialem, qua Deus impedit dæmonem, ne tali loco, tali tempore, tali modo, cum tanta vehementia tentet, vel quocumque alio modo homini tentatio subvenit.

RESPONSIO.

Nulla vera tentatio superari potest solis naturæ viribus, & sine aliquo gratiæ auxilio.

Prob. 1. Ex Scriptura. Nam dicitur Psal. 17. *In te eripiar à tentatione.* Et Matth. cap. 26. *Orate, ut non intretis in tentationem.* Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma. Et c. 6. *Ne nos inducas in tentationem.* Quibus locis, & aliis similibus, Deo simpliciter attribuitur victoria de tentationibus reportanda; five, quod idem est, gratuitum Dei auxilium ad superandas tentationes necessarium esse significatur, nulla tentationum in leves & graves distinctione facta. His addo Apostolum, dicentem 1. Cor. cap. 10. *Fidelis autem Deus est, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis.* Quibus verbis innuit Apostolus, quæ Deo interiori adjuvante, vel protegente exterius, vires nostras non superant, tentationes nostras fore gravissimas, & moraliter intolerabiles, si Deus gratuito suo auxilio nos destitueret, vel sineret dæmonem tantum in nos sævire, quantum posset & velleret.

Prob. 2. autoritate Summorum Pontificum, Innocentii I. in suo ad Conc. Carthaginense rescripto dicens: *Nisi magnis precibus gratia in nos implorata descendat, nequicquam (nos) terrene labis, & mundani corporis vincere conari errores, cum pares nos ad resistendum, non liberum arbitrium, sed Dei solum facere possit auxilium.* Et inferius, Christum homini quotidiana præstare remedia: quibus nisi freti confisque nitamur, nullatenus humanos vincere poterimus errores. *Neceste est enim, ut quo auxiliante vincimus, eo iterum non adjuvante vincamur.*

Zozimi apud Celestinum in epist. 1. ad Galliæ Episcopos, sic loquentis in sua ad totius orbis Christiani Præsules synodica epistola: *Quod ergo tempus intervenit, quo ejus non egeamus auxilio? In omnibus igitur actibus, causis, cogitationibus, motibus, adiutor & protector orandus est. Superbum est enim, ut quicquam sibi humana natura præsumat, clamante Apostolo: Non est nobis colluctatio adversus carnem & sanguinem, sed contra principes & potestates aeris hujus, contra spiritualia nequitiæ in celestibus.*

Celestini in modò laudata epistola, cap. 6. ubi pronuntiat, *neminem etiam baptismatis gratia renova-*

tum, idoneum esse ad superandas diaboli insidias, & ad evincendas carnis concupiscentias, nisi per quotidianum adiutorium Dei perseverantiam bona conversationis acceperit. Quod probat autoritate Innocentii, cujus verba à nobis laudata refert.

Prob. 3. autoritate Conciliorum, nempe Diospolitani, in quo Pelagius anathematizare compulsus est hanc inter alias propositionem: *Victoriam nostram non ex Dei adiutorio esse, sed ex libero arbitrio:* ut refert S. Augustinus, epist. 106. ad Bonifacium, ubi observat, consequens esse, ut quisquis sequitur illius Episcopalis auctoritatem iudicii, fateatur quando contra tentationes concupiscentiæque illicitas dimicamus, quamvis & illic habeamus propriam voluntatem, non tamen ex illa, sed ex adiutorio Dei nostram provenire victoriam.

Milevitani in sua ad Innocentium I. synodica epistola, ubi apud Pontificem Pelagianos accusat, quòd dicant, *illud, Ne nos inferas in tentationem, non ita intelligendum, tanquam divinum adiutorium poscere debeamus, ne in peccatum tentati decidamus: sed hoc in nostra positum esse potestate, & ad hoc implendum solum sufficere hominis voluntatem.*

Prob. 4. autoritate Sancti Augustini, lib. de gratia Chr. cap. 27. ubi ad hæc Pelagii verba, *Divinam mereamur gratiam, & facilius nequam spiritui Sancti Spiritus auxilio resistamus,* sic ait: *Ut quid hoc verbum interposuit, id est, facilius? An verò non erat integer sensus, ut nequam spiritui Sancti Spiritus auxilio resistamus? Sed quantum detrimentum hoc additamento fecerit, quis non intelligat? volens utique credi tantas esse naturæ vires, quas extollendo præcipiat, ut etiam sine auxilio Spiritus Sancti, etsi minus facile, tamen aliquo modo nequam spiritui resistatur. Et lib. de perfectione iustitiæ, quem his verbis claudit: Quisquis negat nos orare debere, ne intremus in tentationem: negat autem hoc qui contendit ad non peccandum (supple etiam urgente tentatione) gratia Dei adiutorium non esse homini necessarium, sed sola lege accepta, humanam sufficere voluntatem, ab auribus omnium removendum, & ore omnium anathematizandum non dubito.*

Obj. 1. illud S. Hieronymi, lib. 2. contra Jovinianum: *Liberi arbitrii nos condidit Deus, nec ac virtutem, nec ad vitia necessitate trahimur.* R. nos etiam in hoc infirmitatis statu non trahi necessitate ad vitia per tentationes, quia nunquam deest nobis, cum tentationibus urgemur, ad eas superandas sufficiens gratia adiutorium.

Obj. 2. Tentationes oriuntur ex concupiscentia, juxta illud epistolæ Jacobi, cap. 1. *Unusquisque tentatur à concupiscentia sua abstractus & illectus.* Atqui vires naturæ sufficiunt homini ad reprimendam concupiscentiam juxta illud Gen. cap. 4. *Sub te erit appetitus ejus, & tu dominaberis illius.* Ergo, &c. R. neg. min. Cum enim tentamur, concupiscentia nostra excitatur à dæmone. Tanta autem est dæmonis potentia & ars in excitanda & inflammanda concupiscentia nostra, ut nunquam nisi Deo nobis subveniente resisturi simus. Eatenus igitur, secundum Scripturam, homo appetitui suo dominatur, quatenus Deus non finit cum tentari supra id quod potest, vel cohibendo dæmonem, & impediendo ne tantum sæviat, vel interiori ipsum hominem per gratiam suam confortando, & crescente tentatione novas vires addendo.

Obj. 3. Voluntas non potest necessitari à tentatione, quandiu tentatio non absorbet penitus iudicium rationis. Ergo quandiu manet usus rationis, tandiu voluntas libera est ad consentiendum vel non consentiendum tentationi, & consequenter tandiu tentationi resistere potest. Ergo quandiu manet usus rationis, tandiu naturæ vires sufficiunt ad superandam tentationem.

R. 1. Voluntatem, quandiu manet usus rationis, non posse à tentatione necessitari physicè, seu ad unum determinari, sicut appetitus bruti ad unum determinatur; at posse necessitari moraliter, hoc est, moveri infal-

infallibiliter, & re ipsa infallibiliter motum iri, nisi Deus eam adjuvet. Voluntas tentata quandiu manebit usus rationis, poterit absolute tentationi non consentire, sic tamen ut infallibiliter consensura sit, si sibi relinquatur. R. 2. voluntatem non posse à tentatione necessitari, quandiu tentatio non absorbet penitus iudicium rationis; quia tandiu adjuvari potest & adjuvatur à Deo, ut possit tentationi resistere. Unde quandiu manet usus rationis, tandiu ad consentiendum vel non consentiendum tentationi voluntas libera est, sed non sine aliquo Dei adiutorio, ipsam contrarium tentationis confortante. Quare nego 2. consequ.

Obj. 4. Saltem levis tentatio superari potest sine auxilio gratiae, ut patet ex condemnatione huius propositionis Bajanae: *Non solum ii sunt fures & latrones, qui Christum viam & ostium veritatis, & vitae negant; sed etiam quicumque aliunde quam per ipsum in viam iustitiae, hoc est, aliquam iustitiam, confendi posse docent: aut tentationi ulli sine gratia ipsius adiutorio resistere hominem posse, sic ut in eam non inducatur, aut ab ea non superetur.* Ergo male dicitur, quod nulla vera tentatio superari possit solis naturae viribus sine auxilio gratiae.

R. neg. consequ. Itaque ad superandam levem tentationem sufficiunt vires naturae sine auxilio gratiae interioris. At tentatio levis non est sine speciali protectione & providentia Dei, cohibentis daemonem, vel quocumque alio modo concupiscentiam reprimentis. Unde manifestè sequitur nullam veram tentationem superari posse sine aliquo gratiae adiutorio vel interno, vel saltem externo adedque ad nullam veram tentationem superandam valere solas naturae vires; quod magno consensu docent Pontifices, Patres, & Concilia.

Ad prob. ant. R. hanc Baii propositionem damnatam esse, tum quia gravi censura immerito notat eos, qui tenent solas naturae vires sufficere posse ad superandas aliqua tentatione; cum non sine aliqua verisimilitudine hoc teneant; tum quia loquitur de adiutorio interioris gratiae; & falsum est quod nulla tentatio sine interioris gratiae adiutorio possit superari. Porro, quod hic obiter obervo, ne levem quidem tentationem sine adiutorio interioris gratiae, hoc est, secundum illos, coelestis delectationis praevalentis, superari posse asserunt Bajani, ex hoc falso & haeretico principio nempe quod voluntas necessitetur ad id volendum & agendum quod amplius eam delectat: unde sequitur quod terrenam delectationem, in qua tentatio consistit, quantumvis levem, superare non possit nisi per aliam delectationem celestem maiorem. Nos verò dicimus ad nullam veram tentationem superandam vires naturales sufficere posse, quia nulla tentatio gravis superari potest sine interiore gratia, & nulla levis est sine speciali aliquo Dei beneficio. Unde sequitur, ad superandam omnem veram tentationem, requiri gratuitum aliquod Dei auxilium.

ARTICULUS II.

Utrum homo possit boni aliquid velle in iis, quae ad pietatem & salutem pertinent, sine adiutorio gratiae.

RESPONSIO.

IN iis quae ad pietatem & salutem aeternam pertinent, homo nihil potest velle, aut agere sine adiutorio interioris gratiae praevenientis, tum ex parte intellectus, tum ex parte voluntatis.

Est de fide contra Pelagianos & Semipelagianos, contra quos prob. 1. ex Scriptura. Nam dicitur Joan. c. 15. *Sine me nihil potestis facere.* Et 1. Cor. c. 4. *Quid habes, quod non accepisti?* Et 1. Philipp. c. 1. *Cui cepit in vobis opus bonum, perficiet usque in diem Christi.* Et ead. epist. c. 2. *Deus est qui operatus in vobis & velle & perficere pro bona voluntate.* Quibus locis, & aliis similibus, sufficienter exprimitur necessitas interioris gratiae illustrantis intellectum, & voluntatem moventis ad quemlibet actum salutarem sive perficiendum, sive etiam inchoandum.

Prob. 2. autoritate Sanctorum Pontificum, nempe Innocentii I. in suo ad Concilium Milevitanum rescripto, ubi sic ait: *Cum in omnibus divinis paginis voluntati libera non nisi adiutorium Dei legamus esse necessarium, eamque nihil posse celestibus praesidiis destitutam, quoniam modo huic soli possibilitatem hanc pertinaciter defendentes, sibi, immo plurimis Pelagius Celestiusque persuadent?* Zozimi, verbis art. 1. relatis Celestini in sua ad Gallos episcopos epistola, ubi dicit c. 8. *Quod omnia studia & omnia opera ac merita Sanctorum ad Dei gloriam laudemque referenda sunt; quia nemo aliunde ei placet, nisi ex eo quod ipse donaverit.* Et inferius sic ait: *Quorquor spiritus Dei aguntur, hi filii sunt Dei, ut nec nostrum deesse sentiamus arbitrium, & in bonis quibusque voluntatis humana singulis motibus, magis illius valere non dubitemus auxilium.* Et c. 9. sic profecquitur: *Quod ita Deus in cordibus hominum, atque in ipso libero opereatur arbitrio, ut sancta cogitatio, pium consilium, omnisque motus bone voluntatis ex Deo sit, quia per illum aliquid boni possumus, sine quo nihil possumus.*

Prob. 3. autoritate Conciliorum, Palestini scilicet in causa Pelagii celebrati, & definitis, gratiam Dei ad singulos actus dari, hoc est, gratiam Dei ad singulos actus salutare necessarium esse Carthaginensis plenarii, à Sede Apostolica approbati, & ab universo orbe Christiano recepti, apud Prosperum in resp. ad caput 8. Gallorum, ubi haec leguntur: *Cum ducentis quatuordecim sacerdotibus, quorum Constitutionem contra inimicos gratiae Dei totus mundus amplexus est, veraci professione, quemadmodum ipsorum habet sermo dicamus gratiam Dei per Jesum Christum Dominum, non solum ad cognoscendam, verum etiam ad faciendam iustitiam nos per actus singulos adjuvare: ita ut sine illa nihil verae sanctaeque pietatis habere, cogitare, dicere, agere valeamus.* Et Arausiaci II. in causa Semipelagianorum in Gallia, cap. 7. ubi dicitur: *Si quis per naturae vigorem bonum aliquid, quod ad salutem pertinet vita aeterna, cogitare aut eligere posse confirmat... haeretico fallit spiritu.*

Prob. 4. autoritate S. Augustini, lib. de grat. Chr. c. 26. *Gratiam Dei, inquit, qua charitas Dei diffunditur in cordibus nostris per Spiritum Sanctum qui datus est, sic consteatur, qui vult veraciter confiteri, ut omnino nihil boni, quod ad pietatem pertinet utramque iustitiam, fieri posse non dubitet.*

Obj. Hac doctrina penitus destruit liberum arbitrium. R. cum S. Augustinum, lib. 2. contra duas epistolas Pelagianorum, c. 5. *Peccato Ada arbitrium liberum de hominum natura perisse non dicimus, sed ad peccandum valere in hominibus subditis diabolo: ad bene autem pieque vivendum nos valere, nisi ipsa voluntas hominis Dei gratia fuerit liberata, & ad omne bonum actionis, sermonis, cogitationis adjuta.*

Neque simpliciter negamus voluntatem humanam esse liberam ad bonum volendum & agendum, sed solum negamus, ad id liberam esse sine gratia, quae non captivat illam, sed liberat, nec illam necessitat, sed sanat & corroborat: unde, ut dicit S. Prosper in libro adversus Collatorem, *Non conturbat nos superbientium (Pelagianorum & Semipelagianorum) inepta querimonia, quia liberum arbitrium causantur auferri, si & principia, & profectus, & perseverantia in bonis usque in finem, Dei dona esse dicantur; quoniam opitulationes divinae gratiae stabilimenta sunt voluntatis humane.*

ARTICULUS III.

Utrum Mysteria fidei nostra credi possint sine adiutorio gratiae.

NOta. Ad credenda mysteria nostrae fidei, tria requiri consentiunt omnes. Primum est divina revelatio, per Scripturam vel praedicatores proposita: hic enim agitur de fide divina, qua creduntur nostrae religionis mysteria: fides autem divina sine divina revelatione esse non potest; cum fides divina sit assensus

datus

datus propter auctoritatem Dei revelantis. Secundum est divina revelationis propositio facta credibiliter: nam sine tali propositione intellectus non potest prudenter assentiri rei revelatae, assensu omnem omnino hesitationem & animi anxietatem voluntariam excludente, adeoque assentiri non potest fide divina, vel fides divina potest esse imprudens, quod repugnat. Tertium est imperium voluntatis, applicantis & determinantis intellectum ad credendum, quia ad id intellectus necessitati non potest per revelationem divinam, quantumvis credibiliter proponatur. His praesuppositis, quae sunt extra controversiam, quaeritur utrum praeter revelationem divinam, credibiliter propositam, ad credendum requiratur interior gratia illustrationis & inspirationis. Negarunt Pelagiani & Semipelagiani, contra quos sit

RESPONSIO.

Sine interiore gratia illustrationis & inspirationis, homo credere non potest fide divina mysteria nostrae religionis, quantumvis credibiliter proposita.

Est de fide, & prob. 1. ex Scriptura. Nam Apostolus Ephes. c. 2. dicit: *Gratia estis salvati per fidem: Dei enim donum est.* Et Philipp. c. 1. *Vobis donatum est pro Christo, non solum ut in eum credatis, sed ut etiam pro illo patiamini.* Unde sic argumentor. Ex Apostolo, fides christiana, seu divina, est donum Dei. Atqui, secundum omnes Catholicos, consentientibus ipsis Pelagianis & Semipelagianis, opus aliquod salutare eatenus donum Dei est, quatenus non sit, nisi dependenter à Deo per interioriorem gratiam voluntatem praevenerit, eamque immediatè excitante & adjuvante ad volendum & operandum. Ergo, &c. Præterea, fides christiana, Ex Apostolo, tam est donum Dei, quam patientia. Atqui etiam, secundum Semipelagianos, patientia est donum Dei, quia sine interiore gratia illustrationis & inspirationis non habetur: unde illustrationis & inspirationis divinae necessitatem ad patientiam agnoscebant, quia fatebantur patientiam donum Dei esse. Ergo, &c.

Prob. 2. auctoritate Conciliorum, nempe Arauscani II. can. 5. ubi dicitur: *Si quis sicut augmentum, ita etiam initium fidei non per gratia donum nobis inesse dicit, Apostolicis dogmatibus adversarius approbatur.* Et Tridentini sess. 6. can. 3. *Si quis dixerit sine praevenerit Spiritus sancti inspiratione atque ejus adjutorio hominem credere... posse sicut oportet... anathema sit.*

Prob. 2. auctoritate S. Augustini lib. de præd. Sanctæ ferè toto. Sic autem loquitur c. 2. *Quod ergo pertinet ad religionem atque pietatem, de qua loquebatur Apostolus: si non sumus idonei cogitare aliquid quasi ex nobismetipsis, sed sufficientia nostra ex Deo est: profectò non sumus idonei credere aliquid quasi ex nobismetipsis, quod sine cogitatione non possumus, sed sufficientia nostra, qua credere incipimus, ex Deo est. Quocirca sicut nemo sibi sufficit ad incipiendum vel perficiendum quodcumque opus bonum... unde in omni opere bono & incipiendo & perficiendo sufficientia nostra ex Deo est: ita nemo sibi sufficit vel ad incipiendam vel ad perficiendam fidem, sed sufficientia nostra ex Deo est.*

Prob. 4. Ratione; quia nullum opus pietatis sive inchoari sive perfici potest sine adjutorio interioris gratiae, ut Art. 2. probatum est. Atqui fides christiana est opus ad pietatem & salutem pertinens. Ergo, &c.

Obj. Gratis dicitur fidem christianam superare vires naturales. R. neg. Nam fides christiana est actus, quo homo sufficienter convictus de existentia divinae revelationis per motiva credulitatis, ex pio affectu obediendi Deo, eique in omnibus se plene submittendi, firmissimè veritatem revelatam credit præcisè propter auctoritatem Dei revelantis, adeoque propter revelationem divinam propter se firmissimè creditam. At homo neque sufficienter convinci potest de existentia revelationis divinae per motiva credibilitatis, sive, quod idem est, neque de existentia revelationis divinae habere potest per motiva credibilitatis certitudinem sive absolutam sive etiam relativam tantum; neque habere potest pium affectum obediendi Deo, & ei se

Simonet Theol. Tom. II.

plene submittendi in omnibus; neque revelationi, quantumlibet credibiliter propositæ, firmissimè potest adhærere propter se, adeoque nec potest veritati revelatæ firmissimè adhærere præcisè propter auctoritatem Dei revelantis, sine adjutorio interioris gratiae illustrantis intellectum, & voluntatem immediatè excitantis, atque corroborantis.

Dices. Infideles multa credunt solis naturæ viribus, quæ non sunt minùs creditu difficilia, quàm mysteria nostræ fidei: nam v. g. solis naturæ viribus credunt firmiter, continuum dividi posse in partes plures & plures in infinitum. R. Hoc credunt vel propter naturalem demonstrationem, qua naturaliter convincuntur, vel propter auctoritatem doctorum, à quibus instruuntur. Ad hunc autem utrumque assentiendi modum manifestè vires naturales sufficiunt. Unde sequitur tantum, quòd similiter infideles possent solis naturæ viribus firmiter assentiri mysteriis nostræ fidei propter simile motivum; qui assensus esset à fide christiana planè diversus.

Dices. Lutherani v. g. credunt Deum esse trinum, & credunt absque omni auxilio gratiae: nam eodem modo adherent suis erroribus, ad quos credendos nullum certè auxilium gratiae accipiunt. Ergo, &c. R. Inter Lutheranos alii sunt docti, alii indocti. Docti cum in mala fide sint, nec habent, nec habere possunt in hoc statu piam credulitatem, seu piam voluntatem obediendi, & se plene submittendi Deo revelanti credibiliter: & verò si hanc voluntatem haberent, brevi, abjectis falsis suis præjudiciis, ad Ecclesiam Romanam convolarent. Unde nec habent nec habere possunt in hoc statu fidem Christianam circa mysterium Trinitatis, sive quodlibet aliud mysterium revelatum. Quare mysterium Trinitatis non credunt nisi fide humana, & ad illud credendum ducuntur vel spiritu privato, vel auctoritate magistrorum, ad quod certè vires naturales illis sufficiunt.

Inter indoctos verò & idiotas, si qui sunt qui inculpabiliter putant Lutheranam Ecclesiam esse veram Ecclesiam, parati ab ea discedere, ubi primum de illius falsitate, & ad Romanam Ecclesiam confugere; ubi primum de illius veritate convincerentur, nihil vetat eos, aspirante & adjuvante Deo, habere piam credulitatem, & ex hac pia credulitate fide christiana credere mysterium Trinitatis, sicut & quodlibet aliud mysterium revelatum, sufficienter propositum, simul credendo fide merè humana, & propter solam auctoritatem ministrorum, Lutheranæ sectæ errores.

Quòd si inter Lutheranos etiam indoctos & idiotas, nulli sunt, qui non nisi culpabiliter putent Lutheranam Ecclesiam esse veram Ecclesiam, nulli piam credulitatem habent, & sic nulli fide christiana credunt mysterium Trinitatis, sicut nec quodlibet aliud mysterium revelatum, quantumvis propositum credibiliter; sed quidquid credunt, sive verum sive falsum, sive revelatum sive non revelatum in materia religionis, credunt fide merè humana, propter solam ministrorum auctoritatem, ad quod certè adjutorio gratiae non indigent.

Dices. Facile credimus sine adjutorio gratiae vera esse, quæ narrantur ab Historicis prophanis. Ergo facile etiam sine adjutorio gratiae credere possumus vera esse, quæ narrantur ab Historicis sacris, saltem in iis rebus, quæ naturam non superant, quales sunt res à Prophetis vel Patriarchis gestæ. R. Sicut facile sine gratia credimus fide humana vera esse ea, quæ narrant Scriptores exeri: sic quoque facile sine gratia credere possumus fide humana vera esse aliqua, quæ narrant Sacri Scriptores: at nulla ex iis, quæ narrant, fide christiana credere possumus; quia sine gratia, neque piam credulitatem habere, neque præcisè propter auctoritatem Dei revelantis alicui veritati firmiter adherere possumus.

Dices. Possumus sine gratia velle etiam firmissimè credere res falsas, & quæ omnem rationem superant: sic v. g. Lutherani firmissimè credunt Corpus Christi esse semper præsens ubique. Ergo similiter possumus sine gratia velle firmissimè credere res veras, quam-

H

vis

vis omnem excedant rationem; velle, inquam, ex pio affectu erga Deum firmissimè credere præcisè propter divinam revelationem. *R. neg. conf.* Quæ non magis valet quàm ista: Possumus sine gratia velle odissè Deum ex toto corde. Ergo possumus etiam sine gratia velle amare Deum ex toto corde. Sicut ergo Deum amare ex toto corde, superat vires naturæ, quamvis non superet vires naturæ, Deum odissè ex toto corde: ita velle ex pio affectu obediendi & sese submitendi Deo revelanti credibiliter, rem veram firmiter credere præcisè propter auctoritatem Dei revelantis, superat vires naturæ; quamvis non superet vires naturæ, velle ex pravo aliquo & inordinato affectu, rem falsam aut etiam veram pertinaciter credere propter auctoritatem hominum insufficientem, vel quodcumque motivum aliud incertum.

Dices. Esto fides christiana perfecta superet vires naturæ: at idem dici non potest de fide christiana imperfecta & inchoata tantum. *R. neg.* Nam 1. tam ad fidem inchoatam requiritur pia credulitas, quàm ad fidem perfectam: quia sine pia illa credulitate, nulla fides verè christiana esse potest. 2. Tam ad fidem inchoatam requiritur, ut veritas revelata firmiter credatur præcisè propter auctoritatem Dei revelantis, quàm requiritur ad fidem perfectam: auctoritas enim Dei revelantis sola est motivum intrinsecum omnis fidei christianæ; & in hoc tantum differunt fides inchoata & perfecta, quòd fides inchoata non sit tantum apprehensiva veritatis credita, quantum fides perfecta. Utraque igitur superat vires naturæ, adeoque neutra sine adjutorio interioris gratiæ haberi potest.

ARTICULUS IV.

Utrum sine adjutorio interiori gratiæ possit diligere Deus propter se.

NOta. Dilectio Dei propter se alia est dilectio Dei ut authoris naturæ, alia Dei ut largitoris gratiæ & gloriæ. Utraque subdividitur in perfectam & imperfectam apprehensivè. Dilectio perfecta apprehensivè est ea, qua Deus super omnia diligitur, hoc est, rebus omnibus creatis antepositur. Dilectio imperfecta apprehensivè, seu quantum ad apprehensionem, est ea, qua Deus verè diligitur propter se, seu propter suam bonitatem, sed nondum super omnia diligitur, hoc est, nondum rebus omnibus creatis antepositur.

Dilectio Dei apprehensivè perfecta subdividitur in perfectam & imperfectam intensivè, seu quantum ad intensiorem. Perfecta intensivè est ea, quæ non solum Deum anteposit rebus omnibus creatis, sed etiam ardentius ad illum afficitur, quàm ad ullam rem creatam. Imperfecta intensivè est ea, quæ sic Deum rebus omnibus creatis anteposit, ut tamen ad eum non tam vehementer, quàm ad aliquas res creatas afficitur. Hæc autem dilectio Dei non dicitur simpliciter, sed tantum secundum quid, & cum addito diminuentè, quantum ad intensiorem, imperfecta. Dilectio enim imperfecta simpliciter est dilectio apprehensivè imperfecta, quæ non est charitas, sed tantum quoddam charitatis initium: unde non dicitur charitas, nisi, cum addito destruentè, inchoata.

RESPONSIO I.

Dilectio Dei sive ut largitoris gratiæ & gloriæ, sive etiam ut authoris naturæ, apprehensivè perfecta, superat vires liberi arbitrii, nec haberi potest sine interna gratia illustrationis & inspirationis.

Prob. 1. ex Scriptura. Nam dicitur Rom. c. 5. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis.* Et Gal. cap. 5. *Fruitus autem Spiritus est charitas.* Et 1. Jon. cap. 4. *Charitas ex Deo est.* Unde sic arguuntur. Ex Scriptura charitas est bonum Dei, & effectus gratiæ ipsius. Atqui omnis dilectio Dei propter se apprehensivè perfecta, est charitas. Ergo omnis dilectio Dei propter se apprehensivè perfecta, est donum Dei, & effectus gratiæ ipsius. Ergo, &c.

Dices. Scriptura his locis; & aliis similibus, nomine charitatis intelligit tantum actum, quo Deus propter se super omnia diligitur, tanquam bonorum supernaturalium author. *R. hoc gratis & perperam dici:* nam Scriptura loquitur simpliciter de charitate Dei. Atqui actus, quo author rerum naturalium diligitur super omnia propter se, tam est charitas Dei, quàm actus, quo super omnia propter se diligitur author bonorum supernaturalium: cum author bonorum naturalium tam verè & propriè sit Deus, quàm author bonorum supernaturalium. Ergo Scriptura tam loquitur de actu, quo Deus ut author bonorum naturalium diligitur super omnia propter se, quàm de actu, quo super omnia propter se diligitur Deus ut author bonorum supernaturalium.

Prob. 2. ex Conc. Arausicano II. dicente cap. ult. *Prorsus donum Dei est diligere Deum.* Et ex S. Augustino sic loquente in lib. de gr. & lib. arb. cap. 18. *Unde est in hominibus charitas Dei & proximi, nisi ex ipso Deo? Nam si non ex Deo, sed ex hominibus, vicerunt Pelagiani: si autem ex Deo, vicimus Pelagianos.* Vide S. Augustinum, & post eum Synodum Arausicanam, attribuendo gratiæ dilectionem Dei, non distinguere inter dilectionem Dei ut authoris rerum naturalium, & dilectionem Dei ut authoris rerum supernaturalium.

Dices. Attamen S. Augustinus cum Synodo Arausicana intelligendus est de dilectione, qua Deus ut bonorum supernaturalium author, diligitur propter se. *R. hoc esse falsum;* & dico S. Augustinum cum Synodo Arausicana intelligendum esse de omni amore Dei casto, qualis profectò est ille, quo Deus etiam ut author naturæ propter se diligitur. Præterea, quòd per amorem illum Dei, quem dicit esse non posse sine interiore gratia, intelligat etiam amorem Dei, ut authoris naturæ, evidenter demonstratur ex lib. 4. contra Julianum, cap. 3. ubi hæc leguntur verba: *Amor Dei, quo pervenitur ad Deum, non est nisi à Deo ... per hunc amorem Creatoris bene quisque utitur etiam creaturis.*

Prob. 3. ratione. Si homo potest ex solis arbitrii viribus habere dilectionem Dei ut authoris naturæ apprehensivè perfectam, potest ex solis arbitrii viribus servare totam legem, & esse absque omni peccato gravi. Falsum & absurdum consequens. Ergo, &c. *Prob. seq. maj.* Nam dilectio, qua Deus etiam ut author naturæ, super omnia diligitur, excludit omnem affectum ad peccatum mortale, & includit odium omnium delectabilium, cum lege & amicitia divina pugnantium. Atqui manifestum est cum tali dilectione Dei servari posse totam legem, & vitari omne peccatum mortale. Ergo si homo potest ex solis arbitrii viribus, &c.

Præterea, si homo potest ex solis arbitrii viribus habere dilectionem Dei ut authoris naturæ apprehensivè perfectam, potest quoque ex solis arbitrii viribus perfectè conteri de peccatis: potest enim in hac hypothesi, ex solis arbitrii viribus dolere de peccatis propter Deum super omnia dilectum propter se; & propter Deum super omnia dilectum propter se, habere propositum servandi omnia mandata, & nunquam peccandi de cætero. Falsum conf. alioquin homo potest ex solis arbitrii viribus conteri de peccatis sicut oportet ad consequendam justificationis gratiam, quod est à Conciliis damnatum, & hæreticum. Ergo, &c.

RESPONSIO II.

Etiam dilectio Dei non solum ut largitoris gratiæ & gloriæ, sed & ut authoris naturæ apprehensivè imperfecta, qua Deus propter se, sed non super omnia diligitur, superat vires liberi arbitrii, nec haberi potest sine interna gratia illustrationis & inspirationis.

Prob. 1. ex S. Augustino, lib. 2. contra duas epistolas Pelagianorum, cap. 9. ubi nulla distinctione facta dilectionis Dei ut authoris naturæ, & dilectionis Dei ut largitoris gratiæ & gloriæ, distè docet dilectionem Dei tam inchoatam & apprehensivè imperfectam, quàm per-

perfectam, esse ex Deo, hoc est, donari à Deo per interiorē scilicet gratiam, quā ex pura misericordia hominē illustrat & excitat quomodo ei congruit, &c. Nec, inquit, initium ejus (charitatis) ex nobis, & perfectio ejus ex Deo, sed si charitas ex Deo, tota nobis ex Deo est. Avertat enim Deus hanc amentiam, & in donis ejus nos priores faciamus, posteriorem ipsū, quoniam misericordia ejus praeveniet me.

Prob. 2. ratione. Quia omne opus pietatis superat vires liberī arbitrii, ut probatum est. Atqui dilectio Dei etiam ut authoris naturā, licet appetitativē imperfecta, est verum opus pietatis. Ergo, &c. *Prob. min.* autoritate S. Augustini epist. 29. ad Hieronymum: Quid est pīetas, inquit, nisi cultus Dei? & unde ille collitur, nisi charitate? sive diligatur Deus ut author gratiae & gloriae, sive diligatur ut author naturae. Quis enim negare audeat Deum ab eo colī, à quo diligatur ut author naturae? An non homo in statu naturae purae coluisset Deum, illum diligendo ut authorem naturae? Et si Deus colitur, cum diligatur ut author gratiae & gloriae, quare non colitur, cum diligatur ut author naturae? Ex quo sic adhuc argumentor breviter. Qui colit Deum, exercet actum pietatis. Sed qui Deum ut authorem naturae diligit propter se, colit Deum. Ergo qui Deum ut authorem naturae diligit propter se, exercet actum pietatis, perfectum quidem, si perfectē, imperfectum verò, si imperfectē & inchoatē tantum diligit. Atqui nullus actus pietatis, sive perfectus, sive imperfectus & inchoatus tantum, exerceri potest sine adjutorio interioris gratiae, quod nequidem Semipelagiani aui sunt negare. Ergo, &c.

Obj. 1. Parentes interdum ita diligunt filios, ut pro illis mori velint. Item infidelis potest tantoperē diligere Deos suos, ut pro illis gravissima tormenta & mortem subeat. Item multi Romani ita patriam suam dilexere, ut pro ea morti se ipsi devoverint. Ergo gratis negatur, quod homo naturaliter possit Deum ut authorem naturae diligere etiam super omnia.

R. neg. conf. Nam 1. cum facilius & vehementius ad sensibilia quam ad insensibilia afficiamur, facilius est hominī hominē, & parenti filium diligere, quam Deum ut authorem naturae, & hoc propter naturae corruptionem nunc est impossibile. 2. Infideles, qui pro diis suis, & Romani qui pro patria sua morti se devoverunt, id egerunt ex inordinato amore sui, & insana vanae gloriae cupidine, aut aliquo alio pravo motivo. Facilius autem hominī est se ipsum inordinatē, quam Deum ordinatē diligere; & ea est naturae nostrae pravitas, ex originali peccato profecta, ut difficillima quaeque possimus suscipere ex malo motivo, purā ex nimio timore displicendi hominibus, vel ex nimio illis placendi desiderio, & nequidem facillima possimus ex motivo placendi Deo, nisi Deus ipse per internam suam gratiam nos adjuvet.

Obj. 2. Homo in statu naturae purae Deum ut authorem naturae potuisset diligere, & dilexisset etiam super omnia, absque omni auxilio gratiae. Ergo idem etiam potest in praesenti statu. *R. neg. conf.* Itaque ex eo quod homo in statu naturae purae naturaliter dilexisset Deum ut authorem naturae, non sequitur quod etiam nunc Deum ut authorem naturae naturaliter possit diligere. Ratio est, quia in illo statu natura non esset corrupta; peccatum originale, nullum esset. At in praesenti statu natura per peccatum originale corrupta est, atque ita corrupta & depravata, ut voluntas nostra, nisi à Deo corrigatur ac sanetur per interiorē gratiam, spiritualia semper fastidiat, nec nisi ad terrena & sensibilia afficiatur: ita ut aegre, etiam cum nulla urget tentatio, honestate creata tangatur sine speciali adjutorio Dei. Igitur propter naturae nostrae depravationem dilectio Dei ut authoris naturae, quae in statu naturae purae solis arbitrii viribus possibilis fuisset, & quae secundum se naturalis est, nunc vires liberī arbitrii superat, adeoque nunc supernaturalis est, & sine adjutorio interioris gratiae voluntatem nostram agram & imbecillē sanantis ac corroborantis, haberi non potest.

Simon net Theol. Tom. II.

Obj. 3. Summi Pontifices damnaverunt has duas Bati propositiones: 1. *Distinctio illa duplicis amoris, naturalis videlicet, quo Deus amatur ut author naturae, & gratuiti quo Deus amatur ut beatificator, vana est & commentitia, & ad illudendum sacris litteris, & plurimis, veterum testimoniis excoitata.* 2. *Amor naturalis, qui de viribus naturae exoritur, ex sola philosophia per elationem praesumptionis humanae cum injuria Crucis Christi defenditur à nonnullis Doctoribus.*

R. has propositiones à Summis Pontificibus damnatas fuisse. 1. Propter gravem censuram, qua notant Doctores Catholicos, qui duplicem Dei amorem, unum naturalem, & alterum supernaturalem distinguunt. Nos verò ab omni censura abstinemus. 2. Quia in illis Bajus impugnatur possibilitatem naturalis amoris Dei, & vult omnem Dei amorem esse per se supernaturalem. Unde sequitur hominē condi non potuisse, nisi in statu elevationis; cum non potuerit condi, nisi in statu, in quo Deum posset amare; adeoque chymericum esse naturae purae statum. Nos verò faciemus aliquem Dei amorem esse naturalem secundum se, & ita aliquem Dei amorem non superare vires naturae non corruptae, adeoque hominē condi potuisse in statu naturae purae, in quo locum non habuisset gratia, & tamen homo Deum ut authorem naturae amore casto diligere potuisset.

ARTICULUS V.

Utrum homo solis naturae viribus possit aliquo modo se disponere ad recipiendam gratiam.

RESPONSIO.

Homo solis naturae viribus nullo modo potest se disponere ad recipiendam gratiam actualem.

Prob. Nam 1. dispositio ad gratiam actualem recipiendam, si qua est, est aliquid ad salutem pertinens. Atqui homo nihil potest solis naturae viribus, quod ad salutem pertineat, ut probatum est. Ergo, &c. 2. Si homo potest solis naturae viribus aliquo modo se disponere ad recipiendam gratiam actualem, certe quia potest solis naturae viribus facere aliquid, quo Deus ex decentia & congruitate quadam induci potest ad dandam actualem gratiam. Atqui ex Patribus & Conciliis, homo nihil tale potest: cum enim Patres & Concilia contra Pelagianos & Semipelagianos ut rem de fide docent gratiam actualem non secundum merita nostra dari, intelligunt nullum opus à nobis ex solis arbitrii viribus fieri posse, cujus intuitu etiam ex decentia & congruitate tantum Deus det nobis actualem gratiam.

Confirm. Quia si homo potest solis naturae viribus se disponere ad recipiendam gratiam actualem, vel potest se disponere negativē, removendo scilicet prohibens; vel potest se disponere positivē, bonum aliquem actum producendo. Neutrum dici potest. Non primum: cum enim prohibens sit saltem peccatum mortale, homo non potest se disponere negativē, removendo prohibens, quin absteineat ab omni peccato mortali. Quod autem homo omnia mortalia vitare possit solis naturae viribus, dicere nimis absurdum est.

Non etiam secundum: nam bonus ille actus, qui solis naturae viribus produceretur, vel erit meritorius de condigno actualis gratiae; at hoc nequidem somniarunt Semipelagiani: vel erit meritorius de congruo tantum actualis gratiae; at hoc in Semipelagianis damnavit Ecclesia.

Dices. Actus ille nequidem erit meritorius de congruo, sed solum se habebit per modum conditionis, qua posita, dabitur gratia, non posita non dabitur. Sed contra est, quia, 1. sic non nisi vocentis receditur à sententia Semipelagianorum, qui profecto facile consensissent initium fidei, ad quod volebant vires arbitrii sufficere, dici meram conditionem, qua posita daretur, qua non posita non daretur gratia. 2. Si ita esset, adhuc donatio gratiae non fieret sine onere, &

H 2 ita

ita non esset merè gratuita, sed supponeret aliquid operis. Quod sanè repugnat Apostolo dicenti Rom. cap. 11. *Si autem gratia, jam non operibus: alioqui gratia jam non est gratia.*

Obj. 1. Zachariae, cap. 1. dicitur: *Convertimini ad me... & ego convertar ad vos.* R. in hoc textu, & aliis similibus, commendari liberum arbitrium, sed non excludi necessitatem gratiae praevenientis: sicut in hoc alio textu, *Converte nos Deus salutaris noster*, commendatur necessitas gratiae praevenientis, sed non excluditur liberum arbitrium. Itaque Deus dicit nobis: *Convertimini ad me*; quia non solus operatur conversionem nostram; & nos dicimus Deo: *Converte nos*; quia non soli ad conversionem nostram sufficimus: sed conversio nostra est opus gratiae praevenientis, & arbitrii nostri gratiae praevenienti consentientis atque cooperantis.

Obj. 2. hoc axioma theologicum: *Faciens quod in se est, Deus non denegat gratiam.* R. hujus axiomatis hunc sensum esse: Facienti quod in se est, gratiae praevenienti consentiendo & cooperando, Deus non denegat gratiam justificationis. Et verò faciens quod in se est ex solis arbitrii viribus, pro uno aut altero bono opere morali, quod fortè facit, multa mortalia sine dubio committit. Tali autem aliud deberi non potest, quam poena pro mortalibus, quorum reus est.

Obj. 3. Cornelius Centurio, homo Gentilis, per orationes & elemosinas suas meruit gratiam, qua ad fidem & justificationem perveniret. R. Cornelium non meruisse gratiam, qua ad fidem Christi & Evangelii perveniret, per orationes & elemosinas factas ex solis naturae viribus. Itaque Cornelius per internam gratiam gratuito donatam illustratus & excitatus, habuit fidem unius Dei: deinde ex hac fide, Deo ulterius aspirante & adjuvante, oravit, & elemosinas fecit, atque sic cum auxilio praevenientis & opitulantis gratiae orando & elemosinas faciendo, promeruit ulteriorem gratiam, qua perveniret ad fidem Christi & Evangelii, sine qua fide justificari non poterat, adeoque nec poterat salvari.

Obj. 4. S. Chrysostomus apertè docet, vel supponit hominem posse solis arbitrii viribus se ipsum disponere ad recipiendam gratiam. Nam sic loquitur homil. 27. in Joan. Hinc admoneri possumus Deum suis in nos beneficiis nostras non praevenire voluntates, sed à nobis incipiendum esse. Sed cum nos prompto paratoque animo ad suscipiendam gratiam exhibemus, tunc multas nobis offert salutis occasiones. Et hom. 9. in Genesim: Gratia parata est, quarens qui se cum largitate suscipiat. Quod si Deus viderit animam vigilem, & desiderium fervens, ipse suas divitias largiter suppeditat. Et hom. 12. in epist. ad Hebr. Oportet nos eligere primum quae bona sunt, & tunc Deus quae sua sunt introducit; non antecedit nostras voluntates, ne ledat arbitrium, cum autem nos elegerimus, multam tunc affert auxiliacionem.

R. 1. Cùm tunc temporis nondùm Pelagianorum vel Semipelagianorum haereticis exorta esset, & ita nondùm impugnaretur ad quemlibet actum salutarem necessitas interioris gratiae, omnem dispositionem omnemque conatum naturalem praevenientis, mirum videri non debet, quòd non ita apertè necessitatem hanc semper prædicaret S. Doctor, atque locis citatis, & aliis similibus, cum minori cautela locutus sit. 2. Pluribus locis necessitatem gratiae praevenientis omnem dispositionem & conatum naturalem, sufficienter asseruit, ut hom. 22. in Gen. Quia, inquit, in nostra voluntate totum post gratiam Dei relictum est, ideo & peccantibus supplicia proposita sunt, & bene operantibus retributiones. Et hom. 13. in Joan. Gratia Dei, inquit, semper in beneficiis priores sibi partes vindicat. Et in eand. hom. 71. Non meritis vestris debitum persolvi (diligendo vos) sed ego incipi. Et hom. 12. in c. 4. 1. Cor. Igitur, inquit, quod accepisti habes, neque hoc tantum aut illud, sed quidquid habes. Non enim merita tua haec sunt (hoc est, merita ex solis arbitrii viribus profecta) sed Dei gratia. Quamvis fidem adducas, à vocatione eam accepisti; quamvis peccato-

rum veniam adducas, quamvis dona, quamvis doctrinae sermonem, quamvis virtutem, omnia tibi inde proveniunt. Quid igitur habes, quæso, quod non acceptum habeas? num ipse per te rectè operatus es? Non sanè, sed accepisti... Propterea cohibearis oportet, non enim tantum id munus est, sed largientis. Quid expressius dici potuit pro necessitate interioris gratiae omnem omnino actum salutarem gratuito praevenientis?

3. itaque, ne cogamur dicere S. Doctorem sibi ipsi contrarium fuisse, intrepidè respondendum est eum locis in objectione allegatis, & aliis similibus, sic loqui de bonis quibuldam operibus, quasi ea soli faciamus, & ad ea facienda gratia praeveniente & adjuvante non indigeamus, vel ad liberum arbitrium contra Manichæos defendendum, vel potius ad excutiendam hominum in bonis operibus exercendis negligentiam, & ne homines ita se in omnibus à Deo praeveniri existiment, ut nihil sibi agendum relinquatur. In quo Concionatoris officio egregiè fungitur S. Doctor. Valebit autem hæc responsio pro aliis Patribus, qui simili modo loquuntur, præsertim cùm verba faciunt ad populum.

Obj. 5. S. Hieronymum in dialogo 3. contra Pelagianos, ubi hæc scribit: *Quæ (iustitia) labore, & industria, ac diligentia, & semper super omnia Dei clementia custoditur, ut nostrum sit rogare, illius sit tribuere quod rogitur, nostrum incipere, illius perficere: nostrum offerre quod possumus, illius perficere, quod non possumus.* R. S. Doctorem non sic loqui, quòd possumus sine gratia orare, incipere & offerre aliquid salutæ, sed quia cum gratia, quam habemus, non possumus quidlibet. Sic v.g. cum gratia, quam habemus, aliquando non possumus nisi orare, vel bonum aliquod opus incipere, & ita non nisi boni operis initium Deo offerre; quare Dei est dare nobis uberiores gratiam, quacum majora possumus in ordine ad salutem, & iustitiam conservandam.

Quòd autem illud, quod nostrum esse in ordine ad salutem dicit S. Doctor, non velit esse nostrum independentè à praeveniente & auxiliante gratia, patet ex epist. ad Ctesiphontem, ubi sic ait: *Velle & currere meum est, sed ipsum meum sine Dei semper auxilio non erit meum.* Dicit enim idem Apostolus: Deus est, qui operatur in nobis & velle & perficere. Et ex epist. ad Demetriadem, ubi hoc habet: *Velle & nolle nostrum est, ipsumque quod nostrum est, sine Dei miseratione nostrum non est.*

Obj. denique Apostolum dicentem 1. ad Timoth. c. 1. *Misericordiam consecutus sum, quia ignorans feci in incredulitate.* R. ignorantiam illam, de qua loquitur Apostolus, & ex qua persequeretur Ecclesiam Dei, non fuisse quidem affectatam, qualis fuit illa, ex qua Judæorum principes Christum morti tradiderunt; sed fuisse vincibilem; adeoque peccatum; unde nullatenus conferre potuit ad hoc, ut Apostolus misericordiam consequeretur. Verborum igitur Apostoli sensus hic est, Misericordiam consecutus sum, cujus minus indignus fui, quam alii Judæi, qui ex ignorantia affectata nescierunt Christum esse Messiam. Unde inferius rationem reddens Apostolus quare consecutus fuerit misericordiam, sic loquitur: *Ideo misericordiam consecutus sum, ut in me primò ostenderet Christus Jesus omnem patientiam.*

ARTICULUS VI.

Utrum homo posset solis naturae viribus servare legem divinam.

NOta. Hic agitur, 1. de lege naturali: nam quòd præcepta supernaturalia servari non possint sine gratia, extra controversiam est. 2. De tota lege naturali: nam quòd homo sine gratia aliqua legis naturalis præcepta servare possit, & interdum servet, ita ut in illis servandis nullo modo peccet, non nisi temerè potest negari. 3. De tota lege naturali servanda per longum aliquod tempus: nam negari non potest; quòd homo possit sine auxilio gratiae ad brevissimum

ali-

aliquod tempus servare totam legem naturalem: cum fieri possit ut intra brevissimum illud tempus nullum legis naturalis præceptum affirmativum urgeat, & nulla ad violanda præcepta negativa provocet tentatio. 4. De tota lege naturali servanda quoad substantiam operis, ita ut in ea servanda vitetur omne peccatum, non de tota lege naturali servanda quoad modum, & sicut oportet, ut ejus observatio sit meritoria apud Deum: nam cum sic non observetur nisi ex motivo charitatis, nullum illius præceptum sic observari posse sine adjutorio interioris gratiæ, satis superque constat ex dictis Att. 4. His autem prænotatis, sit

RESPONSIO.

Homo non potest solis naturæ viribus ad longum aliquod tempus servare totam legem naturalem quoad substantiam operis, ita ut ex omni parte vitetur peccatum.

Prob. 1. Ex Scriptura. 1. Joan. c. 2. dicitur: *Qui servat verbum ejus, in hoc charitas Dei perfecta est.* Et c. 5. *Hæc est charitas Dei, ut mandata ejus custodiamus.* Quibus locis agitur de lege naturali: agitur enim de lege, ad quam pertinet præceptum de diligendo proximo, ut patet ex contextu. Unde sic argumentor. Observatio totius legis naturalis per longum aliquod tempus, quo occurrere possunt varia præcepta observanda, est signum perfectæ charitatis. Ergo tota lex naturalis longo aliquo tempore observari non potest sine perfectâ charitate. Atqui quod sine perfectâ charitate fieri non potest, fieri non potest sine adjutorio gratiæ. Ergo, &c.

Prob. 2. ex Traditione, cujus testes nobis sunt Concilia, Pontifices, & Patres, Concilium Milevitanum, vel potiùs Carthaginense can. 5. sic loquitur: *Placuit quicumque dixerit, idcirco nobis gratiam justificationis dari, ut quod facere per liberum jubemur arbitrium, facilius possimus implere per gratiam, tanquam etiam si gratia non daretur, non quidem facile, sed tamen possimus etiam sine illa implere divina mandata, anathema sit.*

Conc. Arausicanum II. can. 25. cujus verba jam recitavimus, dicit hominem baptizatum, si gratiæ cooperari velit, omnia præcepta servare posse; quo modo loquendi aperte significat, vel supponit id facere hominem non posse sine gratia.

Innocentius I. in sua ad Milevitanam Synodum epistola sic ait: *Negantes ergo (Pelagiani) auxilium Dei, iniquum hominem sibi posse sufficere, nec gratia hunc egere divina, qua privatus, necesse est diaboli laqueis irretitus occumbat, dum ad omnia vitæ perficienda mandata, sola tantummodo libertate contendit.*

Celestinus in sua epistola ad Episcopos Galliæ c. 6. dicit: *Neminem etiam baptismati gratia renovatum, idoneum esse ad superandas diaboli insidias, & ad evincendas carnis concupiscentias, nisi per quotidianum adjutorium Dei perseverantiam bonæ conversationis acceperit.* At homo non potest servare totam legem naturalem longo tempore, nisi evincendo concupiscentias carnis, identidem rebellantis, & superando insidias diaboli, assidue quarentis quem devoreret. Ergo, &c.

S. Augustinus lib. de perfect. just. extremo hæc dicit: *Quisquis negat nos orare debere, ne intremus in tentationem: negat autem qui contendit ad non peccandum, gratiæ Dei adjutorium non esse homini necessarium, sed sola lege accepta humanam sufficere voluntatem, ab auxilii omnium removendum, & ore omnium anathematizandum non dubito.* At si adjutorium Dei necessarium est ad non peccandum longo scilicet aliquo tempore, certè ad servanda longo aliquo tempore omnia legis præcepta necessarium esse clarum est.

Item loquens lib. de grat. & lib. arb. c. 16. de observatione præceptorum naturalium, non secundum modum, sed secundum substantiam operis, ut patet ex contextu, sic ait: *Certum est nos mandata servare si volumus, sed quia preparatur voluntas à Domino, ab illo petendum est ut tantum velimus, quantum sufficit*

Simonnet Theol. Tom. II.

ut volendo faciamus. Certum est nos velle cum volumus, sed ille facit ut velimus bonum... Certum est nos facere cum facimus, sed ille facit ut faciamus, prebendo vires efficacissimas voluntati. Quæ verba S. Doctoris saltem intelligi debent de observatione præceptorum legis naturalis difficiliorum, quale est v. g. continentia præceptum, quæ præcepta docet, sine gratia non posse ita servari, ut in illis servandis ex omni parte vitetur peccatum per diuturnum aliquod tempus.

Responsionis nostræ rationem assert Bellarminus lib. 5. de grat. & lib. arb. c. 5. his verbis: *Natura humana, per peccatum primi parentis depravata, aversa est à Deo & conversa ad creaturas, ac præsertim ad se: proinde finem ultimum vel actum, vel habitum, vel certè propensione quadam in creatura, non in Deo, constitutum habet: quare quando occurrunt aliqua agenda, vel evitanda, ex fine illo preconcepto, quasi naturaliter inclinatur ad malum, & violenter ad bonum, & ideo necessaria est vis quedam, & ut homo perpetuo vigilet, & præmeditetur, & contra propensionem & amorem proprium pugnet, quod impossibile esse moraliter, non solum ratio, sed etiam experientia docet.*

Obj. 1. Deut. c. 30. dicitur: *Mandatum hoc, quod ego præcipio tibi hodie, non supra te est, neque procul positum.* R. breviter. Moïses sic loquitur, supponendo non defore divinum auxilium ad implenda præcepta necessarium.

Obj. 2. Illud Eccli. cap. 15. *Si volueris mandata servare, conservabunt te.* R. Hoc loco Scriptura dicit hominem liberum esse ad servanda mandata divina; at non dicit liberum esse sine gratia. Hoc igitur loco exprimitur liberum arbitrium, quo mandata servanda sunt, sed non excluditur gratia, sine qua mandata servari non possunt: sicut cum aliis locis prædicatur gratia, sine qua mandata servari non possunt, non excluditur liberum arbitrium, quo mandata servanda sunt.

Obj. 3. Præcepta naturalia, hoc ipso quòd naturalia sunt, non superant vires naturæ, etiam si collectivè sumantur. Ergo, &c. R. dist. Non superant vires naturæ, quæ per peccatum corrupta non est, C. ant. Non superant vires naturæ per peccatum corruptæ & infirmatæ, N. ant. conf.

Dices Natura per peccatum infirmata, potest omnia quæ potest natura sana, quamvis non tam facile: alioqui non tam dici debet infirmata, quàm penitus extincta. Ergo, &c. R. neg. ant. Nam natura infirma potest quidem aliqua ex eis, quæ potest natura sana, at non potest omnia, nisi adjuvetur. Hoc docet S. Thomas 1. 2. q. 109. ar. 2. in O. *Quia natura humana, inquit, per peccatum non est totaliter corrupta, ut scilicet toto bono naturæ privetur, potest quidem (homo) etiam in statu naturæ corruptæ, per virtutem suæ naturæ aliquod bonum particulare agere... non tamen totum bonum sibi connaturale, ita quod in nullo deficiat: sicut homo infirmus potest per se ipsum aliquem motum habere, non tamen perfecte moveri potest motu hominis sani, nisi sanetur auxilio medicinæ.*

Obj. 4. Potest homo solis naturæ viribus servare aliquod præceptum naturale. Ergo potest etiam omnia. R. neg. conf. Nam 1. non omnia præcepta legis naturalis inter se æqualia sunt, sed alia aliis difficiliora. Qui autem potest facile, non illic potest difficile. 2. Aliquando concurrunt plura præcepta simul observanda. Qui autem unum potest seorsim, non idcirco potest plura simul. 3. Homo in implendis præceptis laborat. Ubi autem laboratur in opere, laborando vires paulatim exhauriuntur. 4. Homo per longum aliquod tempus, præcepta omnia implere non potest sine perpetua vigilantia & præmeditatione, quod vires naturæ per peccatum depravatæ & debilitatæ superat.

Obj. 5. Patres tam de lege naturali quàm de positiva loquentes, passim docent Deum non præcipere impossibilia. R. Patres hoc docere, non quia putant hominem implere posse solis suis viribus ea omnia, quæ à Deo præcipiuntur, sed quia Deus semper paratus est ad juvandum hominem, eique vires ad ea quæ

iple præcipit, implenda suppeditandas. Unde illud S. Leonis sermone 16. de Passione Domini: *Iuste insit præcepto qui semper præcurrit auxilio.*

ARTICULUS VII.

Utrum homo solis naturæ viribus possit bonum aliquod morale perficere.

RESPONSIO.

Potest homo, etiam infidelis, solis naturæ viribus perficere aliquod bonum morale, si nulla tentatione pulsetur.

Est contra Lutherum & Calvinum, quos secuti sunt Bajus & Jansenius, qui capite 17. libri 4. de statu naturæ lapstæ, hunc præfixit titulum: *Nuge, delirium, infania, error, impietas contraria christianorum sensui, Scripturis, & fidei, quod infidelium sit ulla vera virtus, vel opera sine peccato, juxta Augustinum, & Concilium Arauscanum.* Sed contra illos

Prob. 1. ex Scriptura. Nam Rom. cap. 2. legitur: *Cum enim gentes quæ legem (scriptam) non habent, naturaliter ea quæ legis sunt faciunt, ejusmodi legem non habentes, ipsi sibi sunt lex.* Quibus verbis Apostolus aperte significat infideles aliqua legis naturalis præcepta, eaque facilia, solis naturæ viribus interdum adimplere cum omnibus circumstantiis ad moralem honestatem requisitis.

Matth. c. 5. Christus ait: *Si saluaveritis fratres vestros tantum, quid amplius facitis? Nonne & Ethnici hoc faciunt? Estote ergo perfecti, &c.* Unde sic argumetur, Ethnici eadem benevolentia signa adhibent suis, quæ suis exhibent fideles, & de quibus Christus loquitur. Atqui signa benevolentia, quæ suis exhibent fideles, & de quibus loquitur Christus, habent bonitatem moralem, Christus enim illa non reprehendit, nec ab illis avertit, sed solum admonet fideles, ne illis contenti sint, utque ad aliquid perfectius aspirent. Ergo, &c.

Exodi cap. 1. dicitur, obsterices Aegyptias numerosa & facili prole donatas fuisse, eò quod Pharaoni injuste præcipienti, ut omnes Hebræorum infantes masculi interficerentur, parere nolissent: *Quia timuerunt, inquit Moyses, obsterices Deum, edificavit eis domos.* Obsterices autem illæ erant infideles, & tamen infantes masculos Hebræorum contra Pharaonis imperium conservando, opus moraliter bonum exercebant: Deus enim, qui iustissimus est, remunerari non potest opera mala, quæ hoc ipso quod mala sunt, supplicium merentur, non præmium. Præterea, ad hoc opus solas naturæ vires sufficere, gratis negaretur. Ergo, &c.

Prob. 2. Autoritate Summorum Pontificum, qui has Baji propositiones damnaverunt: *Omne quod agit peccator, vel servus peccati, peccatum est... In omnibus actibus suis peccator servit dominanti cupiditati... Omnia opera infidelium sunt peccata, & virtutes philosophorum sunt vitia... Omnis amor creature rationalis aut vitiosa est cupiditas, quamundus diligitur, quæ à Joanne prohibetur, aut laudabilis illa charitas, quæ per Spiritum sanctum in cordibus diffusa, Deus amatur.* Ergo non omnia infidelium opera sunt mala moraliter, adeoque aliqua sunt moraliter bona, quæ cum facilia sunt, nec urget aliqua tentatio, gratis dicerentur superare vires naturæ. Ergo, &c.

Ant. confirmatur. Ex eo quod falsum est, omne quod agit peccator, hoc ipso quod peccator est, peccatum esse, aut in omnibus actibus suis peccatorem, quandiu peccator est, servire dominanti cupiditati. Item ex eo quod possit esse aliquis amor creature rationalis, qui nec sit vitiosa cupiditas, qua diligitur mundus, nec laudabilis illa charitas, qua Deus amatur, qualis est omnis amor, quo præcisè diligitur aliqua honestas creata.

Prob. 3. autoritate S. Augustini, lib. de Spiritu & litt. c. 27. ita loquentis: *Si autem hi qui naturaliter quæ legis sunt faciunt, nondum sunt habendi in numero eo-*

rum quos Christi justificat gratia: sed in eorum potius quorum etiam impiorum, nec Deum verum veraciter iustitiam colentium, quædam tamen facta vel legimus, vel novimus, vel audimus, quæ secundum iustitiam regulam non solum vituperare non possumus, verum etiam merito recteque laudamus: quanquam si discutatur quo fine fiant, vix inveniuntur quæ iustitia debitam laudem defensionemve mereantur.

Et capite sequenti: *Sicut non impediunt à vita æterna iustum quadam peccata venialia, sine quibus hæc vita non ducitur: sic ad salutem æternam nihil profunt impij aliqua bona opera sine quibus difficillimè vita cujuslibet pessimi hominis invenitur.* Juxta S. Doctorem igitur, homines etiam infideles aliqua opera moraliter bona, licet ad salutem inutilia, interdum exercent: opera enim, quæ secundum iustitiam regulam non solum vituperare non possumus, verum etiam merito recteque laudamus, licet ad salutem nihil prodesse possint, moralem habere honestatem necesse est.

Hujus veritatis rationem hanc reddit S. Doctor eod. cap. *Quia non usque adeo in anima humana imago Dei terrenorum affectuum labe detrita est, ut nulla in ea velut lineamenta extrema remanserint, unde merito dici possit (gentiles) etiam in ipsa impietate vita sua facere aliqua legis, vel sapere.* Juxta S. Doctorem igitur, cum in homine imago Dei non sit prorsus detrita, hoc est, cum in homine per peccatum recta ratio, aut arbitrii libertas non sit omnino extincta, nec naturalis ad honestum propensio penitus sublata, possunt homines etiam impii & infideles aliqua, eaque facilia, opera moraliter bona identidem exercere, & identidem exercent ex solis naturæ viribus.

S. Augustino unum ex aliis omnibus Patribus, qui idem de infidelibus docent, addo Fulgentium, qui lib. de incarnatione & gratia Christi, cap. 26. hæc habet: *Quod si quibusdam cognoscentibus Deum, nec tamen sic ut Deum glorificantibus, cognitio illa nihil profuit ad salutem, quomodo hi poterunt iusti esse apud Deum, qui sic in suis moribus atque operibus bonitatis aliquid servant, ut hoc ad finem christiane fidei charitatisque non referant? Quibus aliqua quidem bona, quæ ad societatis humane pertinent æquitatem, inesse possunt, sed quia charitate Dei non sunt, prodesse non possunt.* Juxta S. Fulgentium, infideles habent aliqua opera, moraliter bona, quamvis ad salutem æternam prodesse non possint, quia non imperantur à charitate, sive quia non referuntur ad Deum propter se dilectum, sed sunt præcisè ex affectu honestatis naturalis, quam habent.

Prob. 4. ratione. Quia si infideles nulla planè opera moraliter bona solis naturæ viribus exercere possunt, hoc provenit vel ex eo quod non possunt referre actus suos ad Deum; vel ex eo quod sunt in statu peccati; vel ex eo quod sine gratiæ auxilio non possunt quidquam agere ex affectu honestatis naturalis; vel denique ex tentationum vehementia, & carnis rebellionem. Nihil horum dici potest.

Non primum: quia non tenentur homines omnes actus suos explicite referre ad Deum. Non secundum: quia ex eo quod infideles sunt peccatores & mali, non necessitantur ad semper malè agendum & semper peccandum. Non tertium: quia naturæ vires in ordine ad prosequendam in actibus suis honestatem naturalem, sunt quidem multum debilitate per peccatum originale, ac non sunt penitus extinctæ; adeoque adhuc valere possunt ad prosequenda aliqua honesta, quæ talia, quæ ardua non sunt. Non denique quartum: quia neque semper demon tentat, neque semper caro rebellat. Possunt igitur infideles solis naturæ viribus, nulla tentatione urgente, aliqua opera facilia ex affectu honestatis objectiva, quam habent, exercere, & ea exercendo laudabiliter agere, aut, ut providere liberis, honorare parentes, pauperum inopiam aliquot nummulis sublevare, amicis bene velle, elique aliqua benevolentia suæ signa dare, &c.

ARTICULUS VIII.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1. Scriptur. Nam dicitur Psal. 13. de infidelibus: *Omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt, non est qui faciat bonum, non est usque ad unum.* Item Isajæ c. 60. *Ecce tenebræ operient terram, & caligo populos.* Item Matth. c. 7. *Non potest... arbor mala bonos fructus facere.* Item Joan. c. 15. *Sine me nihil potestis facere.* Item Rom. c. 14. *Omne quod non est ex fide, peccatum est.* Item 1. Cor. c. 10. *Sive manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite.* Item Ephel. c. 4. *Testificor in Domino, ut non ambuletis, sicut & gentes ambulant in vanitate sensus sui.* Item Hebr. c. 11. *Sine fide impossibile est placere Deo.* Item 1. Joan. c. 2. *Omne quod est in mundo, concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & superbia vite.*

R. ad 1. Psalmistam quæri de hominibus infidelibus, quod Deum querere aut nolint, aut negligant, & quod ne unus quidem ex eis bonum sicut oportet ad salutem operetur. Licet autem nullum opus salutæ aut exerceant, aut etiam possint exercere, quandiu Deum nolunt vel negligunt querere, hoc non impedit, quominus exercere possint, & identidem exerceant aliqua opera moraliter bona, & facilia, quæ vires naturæ, quamvis per peccatum depravata, non superant.

R. ad 2. Prophetam loqui de privatione luminis supernaturalis, quo indigent homines ad cognoscendum Christum, aliaque veræ religionis mytheria, & proinde ad consequendam salutem; non verò de privatione luminis naturalis, quod ad bona moralia cognoscenda necessarium est, & sufficit. Hoc autem lumen est quidem obscuratum in infidelibus, at non est penitus extinctum.

R. ad 3. Christum sic loquendo, non aliud velle quam homines malos ordinari, & ut in pluribus, non nisi malum operari, quia ordinari, & ut in pluribus, non nisi ex cupiditate operantur. Inde tamen non sequitur, quod homines mali, quales sunt infideles, semper malè operentur: non enim semper ex cupiditate, sed aliquando ex naturali ad honestum propensione, quæ per peccatum penitus sublata non est, operantur.

R. ad 4. Christum loqui de operibus salutaribus, ad quæ natura valere non potest sine adjutorio gratiæ.

R. ad 5. Apostolum loqui non de fide, qua credimus veritates à Deo revelatas, sed de fide, qua credimus aliquid esse licitum; & tantum dicit, hominem peccare, quoties agit sine prudenti & firma persuasione, quod actio sit licita.

R. ad 6. Verba illa Apostoli, intellecta de expressa actuum nostrorum ad Deum relatione, non præceptum, sed consilium exprimere.

R. ad 7. Apostolum non aliud velle, quam omnia omnino infidelium opera vana esse, & ad salutem inutilia, & ex eis quam plurima esse mala. Hoc tamen non obstante, aliqua, quæ moralem habent bonitatem, interdum illos exercere, negari non potest.

R. ad 8. mentem Apostoli esse, quod nemo sine fide christiana possit placere Deo, ut amicus placet amico; vel, si vis, quod nemo sine fide christiana possit ita placere Deo, ut Deus eum assumat in amicum. Hoc autem non obstat, quin homo sine fide christiana possit exercere, & exerceat aliqua opera, quæ propter moralem suam bonitatem placeant Deo, cui, quia summè bonus est, placet omne quod bonum est, placet, inquam, secundum bonitatis gradum, quem habet.

R. ad 9. Apostolum loqui de mundi amatoribus, quæ talibus; quorum, quæ talium, peccata ad hæc tria, luxuriam scilicet, avaritiam, & superbiam, tanquam ad tria capita revocantur. At mundi amatores non semper agunt ut mundi amatores; & aliquando secundum rectæ rationis, aliquid honestum esse & hominem decere dictantis, iudicium agunt. Tunc autem eorum actio moraliter bona est.

Simonnet Theol. Tom. II.

Obj. 2. S. Augustinum, qui variis locis docet omnia infidelium opera esse peccata. **R.** S. Doctorem hoc dicere, quia per peccatum solet intelligere non solum id quod est culpabilis transgressio legis divinæ, & reddit hominem indignationi Dei & pænæ obnoxium, sed etiam illud omne, quod licet moralem habeat bonitatem, tamen ad salutem æternam nihil prodesse potest operanti, ut Augustinus ipse sese explicat lib. 4. contra Julianum: *Scito, inquit, nos illum bonum hominem dicere, illam voluntatem bonam, illud opus bonum, per quod solum homo potest ad æternum Dei donum, regnumque perducere.* Hinc cum S. Doctorem dicit: *Omne quod non est ex fide, peccatum est;* fidem quidem intelligit christianam, qua credimus in Christum & Evangelium, at per peccatum intelligit opus omne, quod vel offendit Deum, quia malum est, vel ad salutem promerendam inutile est, quia non refertur ad finem charitatis.

Dices. S. Augustinus variis locis docet virtutes morales esse dona Dei, sive in fidelibus, sive in infidelibus reperiantur. **R.** hoc rectè dici à S. Doctore: virtutes enim non acquiruntur, nisi per bonos actus frequentatos; & boni actus frequentari non possunt, nisi passionibus resistendo, insurgentes concupiscentiæ motus reprimendo, & tentationes superando, quod sine gratiæ adjutorio & protectione divina fieri non potest. Hoc tamen non obstante, homo etiam infidelis potest identidem, cum nulla urgeat tentatione, bonum aliquod morale non arduum facere solis naturæ viribus.

Dices. S. Augustinus, lib. 1. contra duas epist. Pelag. cap. ult. dicit, bonum usum liberi arbitrii esse à gratia. Et lib. 3. cap. 8. liberum arbitrium captivatum, valere, quidem ad malum; ad iustitiam verò non valere, nisi liberatum, adjutumque per Dei scilicet gratiam. Quam doctrinam amplectitur Synodus Arausiana, cap. 22. *Nemo, inquit, habet de suo, nisi mendacium & peccatum. Si quis autem homo habet veritatem atque iustitiam, ab illo fonte est, quem debemus finire in hac eremo.*

R. ad 1. S. Doctorem loqui de bono usu liberi arbitrii in ordine ad promerendam Dei gratiam, adeoque per bonum usum, utrum salutem intelligere. Pater ex loco citato, ubi sic loquitur: *Tantum constituit in libero arbitrio, quo in profundum demersus est homo, ut eo bene utendo dicant hominem mereri gratiam, cum nemo bene illo uti possit, nisi per gratiam, quæ non secundum debitum redditur, sed Deo gratis miserante donatur.*

R. ad 2. S. Doctorem, eum ait liberum arbitrium sine gratia ipsum liberante, non nisi ad peccandum valere, loqui de potentia liberi arbitrii relatè ad salutem vel merendam, vel demerendam; & solum dicere, quod verum est, liberum arbitrium sine gratia ipsum liberante posse quidem salutem demereri; illam verò mereri neutiquam posse; quia sibi ad malè agendum sufficit: at verò ad exercenda iustitiæ opera indiget auxilio interioris gratiæ ipsum liberantis & adjuvantis. Unde sequitur, quod dicit Arausiana Synodus, hominem relatè ad salutem vel merendam vel demerendam nihil habere posse de suo, hoc est, ex solis arbitrii sui viribus, nisi mendacium & peccatum, hoc est, nisi actus demeritorios salutis: cum omnis actus, ad salutem assequendam conferens aliquid, sit effectus interioris gratiæ, adjuvantis liberum arbitrium, ipsumque congruè pramoventis: quantumvis liberum arbitrium se solo valeat ad aliquos actus moraliter bonos, faciles, ad salutem inutiles.

Dices. S. Augustinus, lib. de gr. Chr. c. 26. sic loquitur: *Non haberemus unde illum diligeremus, nisi hoc ab illo, cum prior nos diligeret, sumeremus. Quid autem boni faceremus, nisi diligeremus?... Ubi non est dilectio, nullum bonum opus imputatur, nec rectè bonum opus vocatur, quia omne quod non est ex fide, peccatum est. Et fides per dilectionem operatur.* Ergo ex S. Augustino, nullum bonum opus fieri potest sine charitate; & opus omne quod non sit ex charitate, peccatum est. Atqui infideles non habent charitatem. Ergo, &c.

H 4 R. dist.

R. dist. conf. Ergo ex S. Augustino, sine charitate nullum opus bonum fieri potest, hoc est, nullum opus fieri potest, quod sit meritum vite æternæ, C. conf. Hoc est, nullum opus fieri potest, quod morale habeat bonitatem, seu nullum opus fieri potest, quod non sit moraliter turpe & inhonestum, N. conf. Item omne quod non sit ex charitate, peccatum est, id est, culpabilis transgressio legis divinæ, N. conf. Id est, vel culpabilis transgressio legis divinæ, vel saltem opus carens aliqua perfectione & sufficienti proportionem cum vita æterna ut mercede, C. conf.

Itaque S. Doctor hic loquitur de operibus vite æternæ meritoris, ad quæ liberum arbitrium cum lege & doctrina sufficere afferebat Pelagius, contra quem dicit S. Doctor, nulla ejusmodi opera esse posse, nisi imperentur à charitate, adeoque sine gratia, quæ charitas diffunditur in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui gratis datur nobis. Igitur S. Doctor non aliquid hic intendit, quam ex necessitate charitatis ad opera vite æternæ meritoria faciendâ, probare necessitatem interioris gratiæ ad eadem illa opera. Unde post verba citata sic statim prosequitur: *Ac per hoc gratiam Dei, quæ charitas Dei diffunditur in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis, sic confiteatur, qui vult veraciter confiteri, ut omnino nihil boni, quod ad pietatem pertinet veramque iustitiam, fieri posse non dubitet.* Quod nullatenus doctrinæ nostræ officit, nec probat infideles solis naturæ viribus aliqua opera moraliter bona, quæ facilia sunt, exercere non posse, cum nec dæmon tentat, nec caro rebellat, Imò verò cum S. Doctor ait, ubi non est charitas, ibi nullum bonum opus imputari, manifestè supponit, præter bona opera, quæ imputantur, quia fiunt ex charitatis motione, alia etiam esse opera, quæ non imputantur, non quia non sunt bona, sed quia à charitate non imperantur, & quæ idcirco non vult dici simpliciter bona.

Dices. S. Augustinus sic lib. de vera religione, c. 38, loquitur de infidelibus: *Servium cupiditati triplici, vel voluptatis, vel excellentiæ, vel spectaculi ... Ita vescentes diligunt temporalia, ut inde beatitudinem expectent. His autem rebus quibus quisque beatus vult effici, servire necesse est, velit, nolit.* R. ex eo quod infideles serviant cupiditati illi triplici, sequi tantum quod ordinariè & ut plurimum agant vel propter voluptatem, vel propter excellentiam, vel propter spectaculum; adeoque quod ordinariè & ut plurimum peccent; quod facile concedimus. Item ex necessitate serviendi rebus, quibus beati esse volumus, & ita ex necessitate serviendi bonis temporalibus, à quibus nostram expectamus beatitudinem, sequitur tantum necessitas ordinariè & ut plurimum agendi ex inordinato bonorum temporalium affectu; quod non impedit infideles, ne interdum ex affectu honestatis naturalis operentur.

Dices denique. S. Augustinus, lib. 2. de pecc. mer. & rem. c. 18. hæc habet: *Si voluntas aut bona est, aut mala; & utique malam non habemus ex Deo, restat ut bonam voluntatem habeamus ex Deo.* R. S. Doctorem, ut pater ex contextu, per voluntatem intelligere, non actionem, sed potentiam volendi, quæ, ut rectè dicit S. Doctor, aut bona est, aut mala: nam vel diligimus iustitiam, vel iustitiam omnino non diligimus. Si primum, voluntas bona est: si secundum, voluntas mala est. Sed sicut voluntas, quæ iustitiam diligit, aliquando facit aliquid venialiter malum, quia non semper agit ex affectu iustitiæ, sed agit aliquando ex affectu aliquo leviter malo: ita voluntas quæ omnino non diligit iustitiam (diligere autem iustitiam, juxta S. Doctorem, est diligere Deum, vel ea quæ placeant Deo, quia placeant Deo) facit aliquando aliquid moraliter bonum, quia non semper agit ex pravo affectu, sed agit aliquando ex affectu honestatis naturalis; licet ad hanc honestatem non afficiatur, quia placeat Deo, & ut placeat Deo.

Obijciat 3. Dæmones non magis læsi sunt in naturalibus, quam homines, & tamen facere non possunt ullum opus bonum moraliter. Ergo nec homines, nisi

liberentur adjuventurque per gratiam Dei. R. neg. conf. Magnum enim discrimen est dæmones inter & homines etiam corruptissimos. Nam dæmones sine ulla intermissione Deum actu oderunt, omniaque quæ Dei sunt, adeoque & genus humanum, Unde quidquid agunt, illud necessitate consequenti agunt ex affectu displicendi Deo, & nocendi hominibus; & ita necessariò necessitate consequenti in actibus suis omnibus peccant. Tale autem semper peccandi necessitatem non habent homines, etiam infideles & scelestissimi, quia neque Deum, neque proximum semper oderunt actu.

Obj. 4. Si homo potest solis naturæ viribus aliquod opus moraliter bonum facere, remanserunt in natura humana post Adæ peccatum aliqua virtutum semina. Consequens Semipelagianum est. Ergo, &c. R. in natura humana post Adæ peccatum, aliqua virtutum semina remansisse, intelligendo per semina virtutum, rectæ rationis lumen, licet extenuatum; & naturalem ad prosequendum honestum, & inhonestum adversandum, voluntatis propensionem, licet infirmatam. Qui sensus minimè Semipelagianus est. Nam Semipelagiani per semina illa virtutum, quæ contendebant in homine remansisse post peccatum Adæ, intelligebant salutares cogitationes, & salutaria desideria, ex solo vigore naturæ orta, quibus, secundum illos, homo ad recipiendam Dei gratiam disponitur.

DISPUTATIO VI.

De Justificatione Impii.

ARTICULUS I.

Utrum in justificatione impii fiat vera peccatorum remissio.

Negant Lutherus & Calvinus, & docent peccata in justificatione solum tegi, & non imputari, propter iustitiam Christi fide apprehensam. Triplicem autem distinguunt fidem; fidem scilicet historicam, qua credimus ea, quæ continentur in Scripturis; fidem miraculorum, qua credimus Deum esse omnipotentem; & fidem promissionum, qua credimus veras esse promissiones, à Deo factas de peccatis propter merita Christi remittendis. Hanc fidem subdividunt in generalem & specialem: generalis est, qua generatim credimus credentibus in Christum promissam esse peccatorum remissionem: specialis verò, qua unusquisque promissionem hanc sibi applicat, firmiter credendo sibi peccata propter Christum esse remissa; atque ita quasi manu apprehendendo iustitiam Christi, qua omnia ejus peccata reguntur: unde hanc fidem, justificantem nominant. Sed contra illos sit

RESPONSIO.

In justificatione impii vera sit peccatorum remissio. Est de fide, & prob. 1. ex Scriptura. Nam dicitur Rom. c. 8. *Nihil ergo damnationis (hoc est, damnatione dignum) est iis, qui sunt in Christo Jesu (hoc est, qui sunt Christo per justificationis gratiam inserti).* At si in justificatione peccata non abolerentur per veram remissionem, remaneret aliquid in justificatis, quod damnatione dignum est, ut per se manifestum est. Ergo, &c.

Præterea dicitur Hebr. c. 9. *Christus semel oblatum est ad multorum exhaurienda peccata (per justificationis beneficium).* At quomodo exhauriuntur peccata, si reguntur tantum, & non verè remittuntur? Et Ephel. c. 1. *Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus sancti & immaculati in conspectu ejus.* Et 1. Joan. c. 1. *Sanguis Jesu Christi Filii ejus emundat nos ab omni peccato.* Ex quibus locis sic argumentor breviter. Ille veram peccatorum remissionem obtinet qui in justificatione ex maculato fit immaculatus, & ex immundo mundus. Atqui peccator in justificatione fit ex maculato immaculatus, & ex immundo mundus. Ergo, &c.

Prob. 2.